



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Petrus Cælestinus. 19. Maij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

allocutus esset, iturum. Idcirco rapī eum necesse fuit; tertium certè cum lectulo in altum subvolavit. Tanta est boni viri in celo expectatio. *Ex Syr.*

Et nobis pro modulo nostro penna sunt insita, virtutes scilicet spirituales, quibus si viriliter utimur, ad caelestia sublevamur; sin autem ex desidia torpore deponimus, necesse est, ut insuripientium vitiōrū profunda mergamur. S. Pet. Dam. lib. 2. Ep. 18.

S. PETRVS CÆLESTINVS. 19. Maij.

VNicum modestiæ miraculum PETRVM CÆLESTINVM vides, qui exemplo antehac in viso, postea numquam repetito, summo se Pontificatu sponte abdicavit, immortalī memoriā dignus, etsi eo facinore solo inclaruisset: sed idem tenor totius vitæ fuit, cuius quia partem longè maximam in locis solis exegit, non revocabimus ad illam normam mores delicatæ juventutis, contenti si se cum puero patientur componi. Simul ac fieri potuit, illud aureum matri promissum inculcabat, *Volo esse bonus servus Dei*; quod ipsum mater jam tum spe præceperat, cum in recens nato multa Religiosi insignia deprehendisset. Ergo quantumvis arctis domi rebus, in ludum eum literarium misit, patre nuper mortuo consilium de celo probante, ut totius terrarum orbis bono susceptum. Incidère tamen remora permultæ, quibus omnibus perruptis, mater in filioli oraculo acquievit, tum quidem constantissimè, cum pædagogum discenti se Christus offerret, visus nonnunquam de cruce ad eum descendere; ut mirandum non sit, Angelos eam operam non dedignatos; & hi quidem etiam morum ab eo rationem exigebant, nunquam impunè delinquere eum passi. Iam vir-

go Deipara curam valetudinis ejus egit, & altero oculo lippientem recreavit. In hoc contubernio educatus, homines penitus deseruit, uno ejusdem propositi socio comitatus, cui tamen constantia defuit. Petri studiis Angeli applauserunt, quos hodie rariùs audimus, quia aures nostræ Sirenum sibilis occupatæ, Angelis non parent. *Ex Surio.*

Christum, tanquam signaculum in corde nostro debemus imprimere, ut nulla hoc valeat hostilis irruptio violare: Christum etiam operibus nostris debemus insculpere, ut per omne, quod agimus, Crucifixi nos Præceptoris discipulos demonstramus. S. Pet. Dam. serm. 67.

S. BERNARDINVS SENENSIS.

20. Maij.

BERNARDINO puero aras extruere, quæ ad populum dici pro concionè audierat, ad pueros dicere, ludus erant. Qualem nunc serium putas fuisse? Verecundiâ tantâ fuit, ut cum mimicæ castis auribus voces bacchantur, ad quamcunque coronam accederet, illud statim audiretur: *Missæ isthac nunc facite, siquidem BERNARDINVS, adest.* Tantum apud viros potest puer verecundus! Certè puer ejusmodi verba prætexata in viro alapa castigavit, docuitque frontem effrontem vel invitam erubescere: in alium ejusdem culpæ reum totum puerorum globum cœgit, qui lapidibus scelus urbe prosciberent. Feminas verò ex animo omnes, præter MARIAM, deleverat. Hanc unam ille unicè amare, ad hujus effigiem pro portâ urbis vigilantem quotidie in genua accidere; irridente necquicquam proterviore pueritiâ, cum VIRGO attrileret. Iam ubi inter discipulos magni Francisci annumeratus est, ea fuit dicentis pro virtuti-